



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliarvm Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

**Parisiis, 1644**

IV. De nolente decimas dare.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15625**

rium illum ac præterea ter denos Romam deferat, relique postquam redierit ducentos solidos dependito: si tertio deliquerit, rebus suis omnibus exuitor.

V.

Dies sabbati ab ipsa diei Saturni hora pomeridiana tertia usque in lunaris diei diluculum festus agitur: qui non celebrarit, pœnas in iudiciali libro descriptas pendito. Ceteri autem dies, perinde ut fuerint a sacerdote indicti, festi aguntur. Instituta etiam quam religiosissime obseruantur ieiunia.

LEGVM ECCLESIASTICARVM

EDGARI REGIS PRISCA VERSIO.

- |                                      |                                  |
|--------------------------------------|----------------------------------|
| I. De debitis ecclesie reddendis.    | V. De non soluentibus denarium   |
| II. De ecclesiis ubi est cœmeterium. | sancti Petri.                    |
| III. De terminis decimandi.          | VI. De solennitatibus & terminis |
| IV. De nolente decimas dare.         | obseruandis.                     |

**H**oc est institutum quod Edgarus rex consilio sapientum suorum instituit Deo ad gloriam, & sibi ad regiam dignitatem, & genti suæ ad commodum.

I.

Primum est ut ecclesie Dei recti sui dignæ sint, & reddatur omnis decimatio ad matrem ecclesiam cui parochia adiacet de terra thaynorum & villanorum sicut aratrum peragrabit.

II.

Si quis thaynorum sit qui feodo suo ecclesiam habeat ubi cœmeterium sit, det ei tertiam partem decimæ suæ. Si non sit ibi atrium, det ex suis nouem partibus presbytero quod vult, & etiam omne ciricseatum ad matrem ecclesiam de omni libera domo.

III.

Et omnis decimatio iuuentutis reddita sit ad Pentecosten, & terræ frugum ad æquinoctium, & omne ciricseatum ad festum sancti Martini, per plenam forisfacturam quam iudicialis liber dicit.

IV.

Si quis decimam dare noluerit, sicut diximus, adest præ-

Concil. Tom. 23.

T ij

positus regis & episcopi sacerdos illius ecclesie, & reddat ecclesie cui pertinebit decimam suam, & nonam partem dimittant ei qui decimam suam detinuit, & octo partes in duo diuidantur, dimidium domino, dimidium episcopo, sit homo regis, sit homo thayni.

V.

Et omnis heordpen reddat ad festum sancti Petri, & qui non soluit ad terminum illum, deferat eum Romam, & etiam triginta denarios, & afferat inde significationem quod tantum ibi reddidit. Et cum redierit domum, emendet centum viginti solidos. Et si iterum reddere nolit, deferat eum Romam, & emendationem eandem. Et cum redierit, emendet centum viginti solidos regi. Ad tertiam vicem, si adhuc non reddiderit, perdat totum quod habebit.

VI.

Et solenne diei dominice conferuetur ab hora nona sabbati vsque ad lucidum diei lune, super forisfactura quam liber iudiciorum dicit & docet. Et alia festiuitas, sicut a sacerdote nuntiabitur. Et omne indictum ieiunium cum omni deuotione feruetur.

---

## CANONES EDITI

SVB EDGARO REGE, ET AD LEGES SVAS

pertinentes, vt in veterrimo manuscripto codice Saxo-  
nico collegii corporis Christi Cantabrigie reperiun-  
tur, sub hoc frontispicio:

*Hæc quæ sequuntur pertinent ad constitutiones Edgari regis,  
de ordinatorum viuendi formula.*

I.

**D**OCEMVVS vt ministri Dei ardentius Deo seruiant & ministrent, & pro omni Christiano populo apud Deum intercedant; & vt eorum singuli superioribus suis fideles sint & obedientes, & in communi necessitate vnanimis, auxiliumque inuicem præstantes coram Deo & hominibus, & vt sæcularibus suis dominis firmi etiam sint & fideles.

CIRCA  
ANNVM  
CHRISTI  
967.